

mamus, verba si ipsa intentius inspiciamus, quæ in duobus supra ostensis libris Rectorum legimus. Difficillime quidem de Hebræorum antiquorum Poesi certum ac veritati congruum quid dici, multi sunt persuasi, maxime si quæstio de metris Hebræorum moveatur. Sed paucis, quantum fieri poterit, complectamur verbis, quæ in Carmine Hebraico nobis præcipue videantur consideranda. Primò in iis requiritur, ut brevibus constent membris, quod perpetuo tam in Canticis Davidis, quam threnis Jeremiæ, Mosisque cantico observamus. Hæc vero minora *τμήματα* nobis conservasse videtur Auctor Accentuum, qui, si ejus accentus distinctivos majores attenderit, ejusmodi semper exhibet membra, sensumque in iis sistit tam locis parallelis, quam contextui & scopo convenientissimum; ut ideo nulli dubitemus, accentus exprimere antiquam Judæorum lectionem in Synagogis usitatam, qua Codex sacer distincte est prælectus. Sequimur hinc Magnif. nostrum *Læscherum de carsis Linguae Hebrææ Lib. II. Cap. X. §. 6. p. 436.* ubi ita dicit: *Plerique, post perditum in hac questione oleum & operam, eò tandem deveniunt, ut præter stylum vivaciorem & magis vernantem accentuumque discrimen in Poesi sacra nihil singulare inveniant, unicum id observantes, quod singuli paragraphi in duo τμήματα dividantur, quorum singulum tractum aliquem tonorum & melodiam finiat.* Nec dissentit Judæus Autor *Cofri Part. II. p. 133.* Sane constat mihi, inquit, *Cantiones vel carmina non requirere dimensionem quantitatis & numeri syllabarum ac pedum, sed posse tam breviores, quam longiores equaliter cani, veluti*

לְעוֹשָׁה נְפִלְאוֹת גְּדוּלוֹת
& חֹדֶר לְיְהוָה כִּי טוֹב

Psalm. 136. v. 1. & 4. nempe juxta Musicam eorum, qui in ea respiciunt ad actiones. Nec hætenus nos poenituit ejusdem sententiæ; consideratis enim omnibus, nihil invenimus, quod ad veritatem propius accedat. Secundò in carmine Hebræo antiquis temporibus fuit observatus rythmus, non ille, qui

no-